



Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de Gradibus scholasticis, deq[ue] utilitate examinum, atq[ue] de
primis artibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

ORATIO DE STUDIIS ADOL-
 scentium habita cum titulis Baccalauro-
 rum decerneretur quibusdam,
 & scripta à Vito Vuin-
 senio.



IRabitur fortasse aliquis,
 quid nobis in mentem uen-
 rit, ut hunc morem publicum
 decernendi istum primum
 scholasticum gradum, ut
 iam annorum spacio inter-
 missum, ac uelut exoletum,
 hoc potissimum tempore in scholam reuocaremus.
 Et forte non deerunt qui consilium hac in re nos-
 trum ut ociosam peregrinam, uel inanem ostentati-
 onem irridebunt, quibus in presentia nihil attin-
 et respondere, cum uiris honestis ac prudentibus
 hoc nostrum institutum probari non dubitemus.
 Sed tamen ut adolescentes & de gradu ipso hono-
 rificentius sentiant, & hec studia magis amant,
 ac pluris facienda ducant, decreuimus utraq; de re,
 nempe de hoc gradu & utilitate examinatum, atq;
 de his primis artibus paucis in hoc cōfessu dicere.

Causæ promo-
 tionum non le-
 ues.

Non enim leues aut negligendæ fuerunt causæ
 quæ uiros bonos ac doctos mouerunt, ut hunc pu-
 blicum

rium & peruetustum Academicarum morem, nec sine grauisimo consilio à maioribus institutum, reuocatum ac retentum cuperent. Quemadmodum enim primis illis scholarum parentibus necessarium uisum est, hæc examina, et discendi ordinem instituerent, ita nostri præceptores has suas esse partes iudicauerunt, operam dare, ne quod tale exercitij genus in schola desideraretur, & si quid ex his ad tempus prolapsum, aut intermissum foret, ut id rursus instauraretur, et quantum eius fieri posset, conseruaretur. Quorum nos auctoritatem secuti, non curiositate quadam, neque enim ita ocio abundamus, nec propter ostentationem aut ambitionem, cum nostra tenuitas nobis non sit ignota, sed ut utilitati scholæ, & discipulorum commodis pro nostra uirili parte consuleremus, hoc officium publice promouendi Baccalaureos liberalium artium suscepimus. Quamuis enim hic primus gradus uerius puerilis quidam ludus, quam res seriam uideri possit, usu tamen compertum est, tantam eius utilitatem esse, ut non parum ad officium & fidem eorum qui præsent, pertinere uideatur, operam dare, ut in schola non retineatur modò, sed et quàm maximè uigeat ac frequentetur. Nam primum, si spectabimus utilitatem, quam affert consuetudo examinum, præsertim huic ætati, in

Primus gradus ueluti ludus.

h iij cuius

cuius precipuè gratiam hi primi gradus instituti sunt, tantam eam comperiemus, ut nulla amplior, nec uberior in schola possit esse.

Examina curam acuunt,

Quanti enim refert, quod examina discendi curam acuunt, studium, uigilantiam, ac sollicitudinem augent, et ad omnia quæ traduntur diligentius obseruanda, ac perdiscenda alacriores & excitatiores reddunt. Metuit enim pro se quisque, ne quid se fugiat, quod tenere oporteat. Tum ut accuratius perfectiusque omnia excutiat ac peruestiget, eadem hæc sollicitudo stimulat, cum sciat se sibi omnia dictata reddenda in examine, & precipuè explicanda esse. Hic metus acerrimus est, *ἡ ἀνάγκη*, ad discendi laborem ac uigilantiam, animos accendens urgensque, qui si absit, uidentur quàm frigide, ac somniculose studia tractantur. Verùm examinum cura, & sollicitudo apud aliquem excubans, non finit eum obdormiscere, sed expergescit, ac uelut sedulus & acer paterfamilias instat & urget, ut suum studiorum pensum persoluat. Quapropter hæc ex multis causis uel fuit ueteribus instituendi examina & gradus, uel his uelut calcaribus incitarent discentes.

Quomodo aliorum scripta euoluenda.

Rectè monuit Fabius scripta euoluenda esse cum tali sollicitudine, quasi nos ipsi ita scripturi, uel dicaturi simus, quod ita fiat, ut uigilantioribus occupatis

lis omnia lustremus, nihil nobis elabi patiamur,
 quod obseruatu dignum sit, & ad omnes uirtutes
 scriptorum expendendas attentiores reddamur.
 Idem in consilio fuit his, qui examina institue-
 runt, nempe, ut circumdarent curam discantibus
 omnia plenius & exactius cognoscendi, ut ali-
 quid integri, ac solidi perciperent, nec uagabun-
 di in studijs oberrantes, extremis tantum labris
 uaria degustarent, hinc inde concisas sententiolas
 & mutilata membra uenantes, quod nunc à mul-
 tis fieri uidemus, qui cum excutiuntur, ita stupi-
 di atq; ignari, ut turpe sit, deprehenduntur. Dum
 enim in hoc uno studium omne suum consumunt,
 ut fragmenta quædam ex scriptoribus colligant,
 sic ut nullius rei integram ac perfectam cogniti-
 onem consequantur: à quo uago & inutili labo-
 re examina discantes, uelut in certam uiam reuo-
 cant. Nec ad non necessaria & inutilia respecta-
 re sinunt, sed in ijs, quæ necessaria sunt, ordine
 quodam discendis continent. Parit uerò istam in-
 discendo diligentiam præcipuè hæc sollicitudo,
 cum scimus nobis in examine uelut rationem red-
 dendam esse eorum, quæ tradita sunt, & magis
 se intendunt animi in ea, quæ ipsi tanquã nostra
 alijs exponere atq; explicare cogimur, & illæ
 ipse imagines magis euidenter in animis lucent,
 h v ac firmitus

ac firmiter defiguntur, quas ipsi de rebus doctrina perceptis tractatione & oratione effingimus, atque exprimimus. Nam quæ auribus tantum haesimus, aut ex lectione percepimus, ea tanquam umbrae per somnium obseruantes incerta haerent, & facile inde fugere atque excidere solent. Quorum uero ceu uiuas imagines commentando atque agitando impressimus, ea uelut altius actis radicibus haerent tenacissimè, nec euelli se, aut excidi facile patiuntur.

Est enim commentationis atque agitationis uis maxima in omnire, plenè perfectèque percipienda ac discenda, sine qua auditionis & lectionis fructus sterilis, ac prope nullus est. *ὁ δὲ κτηνός* autem, ut uerè dictum est, omnia potest, & agitando atque inquirendo omnes artes inuenta, atque exculta sunt, estque ea uel sola omnis doctrina effectrix. Quemadmodum enim leonum foetus informes ac mortuos ad memorant, & deinde laugis parentum uociferationibus uiuificari, ac spiritum recipere, ita primi foetus ingeniorum, hoc est, primæ imagines quas de rebus uel auditis, uel lectione perceptis, concipimus ac gignimus, mortuæ sunt & informes, quæ deinde dum crebro de ipsis cum alijs colloquimur, ac commentamur, ab ipsa uiua uoce & tractatione ceu uitam, & per

ὁ δὲ κτηνός.

Leonum foetus

& perfectam formam recipiunt. Et uerè dictum
 est ab Aristotele: id primum certum signum esse,
 quod aliquis quidpiam rectè sciat, si de eo ipso
 loqui, & alium docere possit. Eam gratiam debe-
 mus examinibus, quæ uelut uita sunt studiorum,
 sine quibus lectio omnis & meditatio mor-
 tua est. Huc accedit, quod ijs multi errores tem-
 mere concepti, & hærentes in animis corrigun-
 tur, eximuntur opiniones falsæ, quæ uel per æta-
 tem, uel ex aliqua fallaci specie, uel institutione
 corrupta, uel artium præceptis male intellectis,
 accommodatis in animis hæserunt. Et ob hanc
 præcipuè causam ea à ueteribus instituta uiden-
 tur: non enim adolescentum studia temere, ac si-
 ne lege fluere, sed huic examenum censura subie-
 cta esse uoluerunt. Neq; enim eos fugiebat om-
 nes artes peccando disci, & ut fertiles agrî Agri,
 multum gignunt spinarum, atq; inutilem herba-
 rum, quibus subinde sunt repurgandi ac sarrien-
 di, idem etiam ingenijs & quidem sæcundis solet
 accidere: sæpe enim fit, ut falsas rerum imagi-
 nes pro ipsis rebus adprehendant. Et quemad-
 modum Ixion cum nube concumbens, cum puta-
 ret se Iunonem amplecti, Centauros gignit, sic ex
 falsis umbris, quas pro ipsa ueritate cõsectamur
 & arripimus, prodigiöse opiniones nascun-
 tur,

Ixion.

tur, quæ nisi maturè & antequam altius rēbus egerint, animis euulsa sint, in perniciosos Erroris, ac Reipub. errores deinde erumpunt. Non ut lolio, tribulis, lappisq; & alijs id genus inlicitibus herbis succrescentibus, segetes opprimuntur, ac præfocantur, & sterilefcunt agri: ita falsis opinionibus, si confirmantur, nec maturè eximantur, atq; ijs uelut repurgentur mentes, ueritas opprimitur, & expugnatur. Ad id uero non est aliud aptius remedium, quàm examina. His enim explorantur ingenia, si quid adhaerescit, ijs ostenditur, si quid uitij aut errorum haerit, corrigitur atq; euellitur. Estq; hæc uelut scrutatio studiorum, ita necessaria, ut si omittatur, non modo uera ac solida doctrina nulla possit consistere, sed ipsius loco infiniti errores succrescant. Ut taceam quod illæ communicationes & collationes etiam facundiam alunt, & afferunt quædam animis constantiam, ut et accipere ac intelligere ea, quæ proponuntur possint, & apte ad quaerita respondere. Videmus enim nonnullos ferè de re quapiam interrogatos ita perturbari, ac uelut attonitos obmutescere, ut uix animi compotes esse uideantur. Eorum deinde, si quid ferè discendo etiam consecuti sunt, nullus usus esse potest. In hoc enim omnis studiorum fructus potest.

Examina uitia corrigunt, & facundiam alunt.

lur, ut expromere, in lucemq; proferre, ac expli-
care id ipsum, quod scias, possis. Vt enim occulta
Musica, ita muta atque infantis doctrine nulla
gratia est.

Examina uerò ut iudicium formant ac limāt,
animos confirmant, acuunt ingenia, ita linguam
quoq; expeditiorem efficiunt, celeritatem quan-
dam cogitandi, & promptitudinem respondendi
afferunt. Magna hæc quidem sunt, sed est et alia
non minor utilitas examinum, quod cohercent ac
cōhibent cursum studiorum intra certos limites:
Adolescentes enim nisi intra certa, uelut septa cō-
tineantur, ceu nauis in medijs fluctibus rectore de-
stituta, ita ipsi incerto cursu fluctuant, & si quid
etiam instituunt, id nullo ordine tractant. Vnde
operam illis omnem in discendo consumptam pe-
rire necesse. Et gignunt plerunq; hæc tumultua-
ria ac uaga studia, uanam persuasionem eruditio-
nis, qua nihil nocentius est, ea deinde inflati tu-
ment, cum de rebus omnibus indoctissime ac stoli-
dissime iudicent: Cum ea enim inscitia coniuncta
esse solet insignis arrogantia ac pertinacia, unde
fit, ut plerunq; tales Rebuspub. uel Ecclesijs præ-
senti, tumultibus deinde omnia misceant. His ma-
lis tantis medentur examina, & quod maximum
est, uanam illam persuasionem doctrinae, atq; ar-
rogantiam

Studiorum cur-
sum intra limi-
tes tenent.

Peruasio, rogantiã, animis eximunt, qua non est alia p̄
 cum rebus omnibus, tũ uerò præcipuè studiũ per
 niciosior. Sæpe enim aliquis cristas tollit antiq̄
 pus, et putat se iam uel nouem artium liberalium
 Magistrum esse, qui cum examine excutitur, nihil aliud, hoc certè tamen docetur, quod ab
 minus sciat, quàm ipse se scire putabat, et ipsa
 to atq; pernicioso errore liberatur. Quanto uerò
 ingenia fœcundiora sunt, ac magis præcipuè
 tantò plus ab hac peste periculi est. Videmus te
 nim φιλαυτία fœlicissima pleraq; ingenia in me
 dio studiorum cursu corrumpi, ac uelut in herba
 enecari, dum sibi iam nimis placere incipiunt, et
 ipsos & sua impense admirantur, at tollunt super
 cilia, quibusuis iam se præponunt, quo suis præ
 se contemnunt, fastidiunt iam hæc, iam illa, con
 suram sibi de dogmatis sumunt: nulli amplius præ
 ceptores, nulli propemodum libri, aut scriptores
 tam emunctæ naris iudicio satisfaciunt. Admo
 neri autem se aut doceri, pro indignissimo ducunt,
 statim coarguti excandescunt, quid nisi
 non enim labi posse, aut errare uideri uolunt.
 Non Tygrides atrocius, aut infestiore ira, proci
 tulis depugnant, quàm illi pro suis erroribus de
 fendendis. Quid hos facturos putemus, ubi sic
 facti ad Reipub. aut Ecclesiæ gubernacula
 cefferint,

cesserint, & auctoritatem ac potentiam aliquam cum isto supercilio & inscitia coniunxerint? Ecce quos uos unquam homines audistis perniciosiores Ecclesijs, aut Rebus publicis extitisse? Atque talis arrogantia et alitur & confirmatur in animis, si nulla agatur de studijs censura, ingenia non explorentur coarguanturque, nec moneantur, quid adhuc illis desit, & quam longè adhuc absint ab eo gradu doctrinæ, ad quem iam euasisse sibi uidebantur.

Quapropter si nihil aliud utilitatis afferrent examina, uel ob hanc unam causam tamè in scholis retinenda erant: Quod duabus maximis pestibus studiorum quæque plerumque coniunctæ solent esse, medentur, nempe, ignauia & arrogantia: ad eximendum enim torporem, & excutiendam somnolentiã, uix aliud calcar est acrius et efficacius. Deinde ne nobis ipsis immodicè placeamus, aut ultra nidum, ut aiunt, pennas extendamus, salutare est uitia atque errata nostra nobis ostèdi, et assuescieri nos, ut patienter feramus nos redargui ac corripì, ne protinus omnia somnia nostra exoseulemur, et pro oraculis adoranda ducamus. Quæ uana persuasio nisi corrigitur, perniciosissimos deinde errores parit. Narcissus in fabulis Poëtarum, dum nimium sese amat, contabescit, peritque

Dux studiorum maxime pestes

Fabula de Narcisso

peritq; & ipse & illa falsa imago, in quam
topere deperibat, et nunc mutatus in florem, non
net nos, serò florescens, ne nimis mature & ante
tempus sapere incipiamus, neue nos aut nostram
mis amemus atq; admiremur. Quod cum in omni
etate odiosum est, tum uerò in adolescentia pro-
sum intolerabile. Nam ut ab usu rerum solida
que ac perfecta doctrina & sapientia hæc etiam
adhuc longissimè abest, ita hæc res non potest
arrogare sine summa turpitudine ac uanitate.

Simile à fructi-
bus.

Vt enim uuæ & poma non in uere, nec in aestate
maturefcunt, sed in autumno primum, paulò ante
hyemem: ita doctrinæ fructus ingrauescente æta-
te, ac paulò ante hyemem, hoc est, iam senectute
instante, primum solent maturefcere. Et ut uuæ
ac poma ante tempus decerpta, nec esui sunt, nec
ulli alij usui idonea, ita ingeniorum immaturus fru-
ctus acerbi adhuc sunt, & salutare est adolefcen-
tibus ostendi, quam nunc primum florere, aut ripe-
bere coeperint illi fructus, necdum maturuerint
& moneri, quo cultu, quibus auris & solibus, et
qua benedictione diuina adhuc sit opus, ut lati de
maturi, talesq; fructus proueniant, quibus Res-
pub. et Ecclesia deinde salubriter possit uti. Hoc
efficiunt examina, quæ cuiq; quousq; progressus
sit, & quid uicæ adhuc restet, ostendunt, ne se iam
metant

metam superasse putent, cum uix dū septis excur-
 rerint: cum igitur quaedam modestiæ ac disciplina
 officina sunt, tum uerò etiā ad κοινωvicp, hoc est,
 studiorum communicationem mutuam atq; in cō-
 ferendo & disceptando facilitatem, humanita-
 temq; adsuesciant. Quidam enim in his congres-
 sibus magis sunt intractabiles ac morosi, quā
 homines doctrinæ studijs exultos decet. Alij por-
 rō sublimi arrogantia subnixi, suā, si qua est, eru-
 ditionem ceu Regum Persarum mysteria celant,
 & sola maiestate ac tenebris tutam censent, cum
 nihil promant, nihil quidquam de suo in medium
 proferant, cum nemine communicent. Hos si exci-
 tius, inuenias plerunq; inanes, & hoc est cur ex-
 aminari atq; excuti tantopere fugitant, metu-
 unt enim, ne de sua autoritate aut existimatione
 plusculum amittant, si se aperiant. His permitta-
 mus ut aliorum opinione magni doctiq; sint, sua
 maximi ac doctissimi tumeant quā uelint, et uel
 rane Aesopicæ exemplo cum tauris certent, do-
 nec ad summum inflati crepent. Qui rectius men-
 te ualebunt, hi non errare magis uolent, quā
 uiam doceri, atq; examina & istos congressus, ut
 saluberrimos studijs atq; utilissimos magnifici-
 ent, quodq; poterunt, de suo quoq; ad ea tanquam
 ad aliquod magnum publicum bonum conferent.

i Dixi

Disciplinam esse
studium.

Diximus de examinum utilitate, & si libe-
ta & tam multiplex est, ut nec in hac tempore
angustia, neq; à me homine ad dicendum minime
instructo satis commemorari possit. Nostris
temporibus iuventus his temporibus magis etiam
pus habet, quod hæc ætas, ut alijs in rebus à
gum uinculis libera uult esse, & magis quam
do antehac ulla, contumax ac freni impatientis,
dinisq; & disciplinae contemptrix est, ita etiam
quoq; præcepta respuit atq; adspernatur. Quæ
utrum nocentius sit, haud facile dictu fuerit, con-
alterum Rerumpab. alterum artium ac doctrinæ
ruinam trahat. Quæ duo, nempe leges & doctrina,
na, ut scedere quodam inter se iuncta sunt, simul
et florere et intercidere solent, ita cum sunt
factata immani barbarie ac uasitate, omnia
uolui necesse est. Quo maiore cura & contem-
ne uiros honestos his presentibus malis, quæ
his haud paulò grauiora impendere uidentur,
mni genere remediorum occurrere decet. Nec
uiter hæc examina ad disciplinam conducunt, in-
centiam temporum nonnihil reprimunt, discen-
curam augent, et certa lege atq; ordine studia go-
bernant, atq; ad ea discenda adigunt, quibus reli-
moresq; boni, ac uera et solida doctrina continen-
tur. Nam ea quæ ad hunc gradum institui solent
examina,

namina, non solum Grammatica & Dialectica
 exercitia sunt, sed quaedam etiam κατήχως Ec-
 clesiasticae doctrinae. Exiguntur enim rudimenta
 pietatis ab adolescentibus, & si quae parum cōmo-
 de opiniones de religione forte perperam hase-
 runt, animis euelluntur, atq; aduersus multos no-
 xios errores pectora muniuntur. Quod quā ope-
 ra precium sit, his praesertim temporibus, non sa-
 tis dici potest. In hac enim tanta securitate homi-
 num & incuria ac negligentia religionis, necesse
 est hanc teneram aetatem quoq; uelut publica con-
 tagione infectam, prophanam, ac pietatis contem-
 nentem fieri: quae cum sit seminarium Ecclesiae
 ac Reipub. & in hoc ueterano huius seculi tan-
 toq; contemptu religionis succrescat, satis adpa-
 ret, quā horribiles tenebrae ac uastitas posteros
 nostros sit exceptura. Cum alioqui, quae admo-
 dum semina ac planta in singulos annos degenera-
 re solent, fato quodam omnia successu temporum
 in prius trahente, ita homines quoq; singularum
 aetatum deteriores nasci, ac semper à superioris
 seculi ingenio et moribus lōgè degenerare uigea-
 mus. Quare ut agricolae arte ac diligētia, dū quoe-
 rumis maxima quaeq; manu legunt, illi seminū mu-
 tationi mederi student, ita uiros honestos quosq;
 cum suorū temporū uitijis pugnare oportet, quod

Religionem sta-
 biliunt,

i ij nisi

nisi fiat, omnia breui in præceptis ruitur. Ad eundem modum nisi totis uiribus curatur horum temporum negligentie atque, metuendum est, ne ad posteros magna ex parte religionis doctrina, & cetera quoque disciplinae sint interitura. Nam Ecclesia, non iam dicam de alumnis uel discipulis, Doctores certe non habitura, et dispensatores mysteriorum Dei, negligatur uerbi diuini tractatio. Deinde quæ putemus militiam in superioribus disciplinæ raram, cum in his primarum artium rudimentum sit tyrocinium? Non igitur debet præteriti ulla occasio, qua utcumque rerum tantarum na fulciri ac prohiberi possit. Examina utrumque præstant, sœuent studium Ecclesiasticæ doctrine, & ad elementa pietatis perdiscendæ gunt adolescentes, nec ea prorsum negligentercidere patiuntur, & harum primarum artium Grammaticæ ac Dialecticæ rudimenta conferunt. Scimus autem quàm difficulter ad ea discenda pellantur adolescentes, propterea quod, ut Fabius dixit, plus habent operis quàm ostentationis. Neque obscurum est, quàm harum artium cognitio necessaria sit, ad quodcumque omnino doctrina aspirantibus: Et quàm non infeliciter modò, sed & turpiter superiores disciplinas

Difficultas discendi fundamenta.

hnt, qui hęc fundamenta neglexerunt. Quid e-
 im in quacunq; alia disciplina efficiet, qui sermo
 nis uim ac proprietatem ignorabit? Quomodo il-
 le scripti alicuius sententiam uenabitur, cum uer-
 ba & eorum structuram non intelliget? Quam
 prodigiosa somnia finget, cum ita ceu uia lapsus,
 orationis sensu destitutus, sententiam uelut in te-
 nebris palpans prehensabit? Rebus quoq; eum de-
 sinit necesse est, quem oratio et uerba, quibus res
 sunt inuolutę ac proditę, destituunt. Rectę igitur
 Grammatica nutricula dicitur omniũ artiũ ac disci-
 plinarum, et illic ceterę hunc honorem et gratiam
 nutritionis libenter tribuunt: Sumunt enim ab
 ea unaquelibet certum ac proprium orationis ge-
 nus, & arcet ac repellunt a se eos discipulos, qui
 Grammatica ubera prius non suxerunt. Quinti-
 lianus requirit uel precipuę nutricis operam in
 formando pueri ore ac lingua, uultq; deligi non
 fabularum, & fabularum ac historiarum non
 ignaram, quęq; cum primo lacte simul purum or-
 ationis genus, & quędam liberalioris doctrine
 elementa instillare possit. Quę uerò nutricula po-
 test ad hęc efficienda magis idonea esse, quàm
 Grammatica? Format hęc fingitq; os pueri tene-
 ram, adsuescit ad sermonis genus proprium ac
 certum, poematum atq; historiarum noticiam tra-
 dit,

Grammatica
 ueluti nutricu-
 la.

Aedificiorum
& artium fun-
damenta.

dit, & illo primo lacte eloquentiae ac gratiae
doctrinae pectora alit, subigit, preparat; atque
endum uberiores ceterarum disciplinarum
tum. Non igitur tenuis aut ieiuna est eius opus,
sed uel praecipua & ex omnibus maxime neces-
saria, etsi id in speciem minus adpareat. Nam quae
admodum fundamentis nixa sunt & soliditate
aedificia, quae si parum firma sunt, perit omnis ad-
ficandi labor ac sumptus, & tamen ea neque con-
spicua sunt, nec magnificentiae aut splendori ali-
ciorum quidquam addunt, ita harum primarum
artium cognitioni ceu fundamento innituntur
omnes ceterae disciplinae, & si ipsae per se non
habent splendoris aut ostentationis, hoc tamen
ris ac dignitatis obtinent, ut sine ipsis nullum
nec doctrinae disci recte possit, uel tractari. Non
quae monstrata gignent in alijs artibus, qui ser-
uus, quem Grammatica tradit, ignari erunt? Quos
uero prodigiose iudicabunt, & quas Chimerae,
quos Hippocentaurus fingent, ad quamcumque
disciplinam proruent sese, qui Dialectica sub-
dituti, neque rem obscuram definiendo ex-
plicare, nec ambiguum uidere aut distinguere, nec
tam in partes suas distribuere scient, nec ordinem
ullum, aut consequentiam rerum intelligunt. Ni-
hil firmi nec ipsi discere, neque alios docere possunt.

Dialectica.

tunt, suaq; deq; incertis certa, uera falsis misceat
 necesse est. Commemorarem quàm noxij tales de
 inde homines Rebuspub. ac Ecclesijs soleant esse,
 et quam sepe ingentium tumultuum atq; cladium
 auctores extiterint, nisi id usu atq; nostrorum etiã
 temporum experientia nimis notum esse arbitra
 rer, & angustia temporis me id facere prohibe
 ret. Quapropter iam finem faciam, adolescentes
 adhortor, ut istum discendi ordinẽ, quem per hos
 gradus ueteres descriptum uoluerunt, & exami
 na, quorum tam multiplicẽ utilitatem esse uident,
 non contemnant, sed statuunt eos qui ista institue
 runt usu atq; etate plus uidisse, & fidelissimẽ do
 ctinae studijs ac Rebuspub. consultum cupisse. Dis
 soluti ingenij est, cum sanctissimis maiorum insti
 tutis ac moribus pugnare, & nullas leges, nullum
 ordinem nosse, temerẽ omnia citraq; rationem ad
 ministrare, Cyclopicum est. Quae plus quàm bar
 barica uita, quia nostro seculo nimis placet homi
 nibus, uidemus quàm multis ingentibus malis la
 borent his temporibus res humanae, quantaq; sit
 omnium prope rerũ perturbatio ac labefactatio,
 & quàm non paulò grauiora, nisi deus singulari
 clementia prohibeat, impendere uideantur. Vt e
 nim in cõcentu, si uox una ab harmonia dissideat,
 ceteræ omnes dissonare incipiunt, totaq; sympho
 nia

Concentus
 musicus

nia perturbatur: Ita si una aliqua in re à legibus
 disceditur, consequitur alijs quoq; in rebus simi-
 ta perturbatio atq; dissipatio ordinis ac disci-
 plinae. Quapropter ne minima quidem cōtemnentia
 sunt, praesertim si ad ordinis conseruationem per-
 tinent, & absq; illis maiora teneri non possunt.
 Neq; uerò sine his primis artibus ulla doctrina
 constare potest, & hi gradus atq; examina hanc
 studiorum artiumq; ordinem conseruant, praeser-
 bentq; confusionem ac perturbationem. Per
 qui ab his artibus probè instructi, ad superiores
 disciplinas accedunt, hi foeliciter in illis delectari
 uersantur, & fructus studiorum suorū uberrimè
 percipiunt, redduntq;: Est enim hanc prima ac pri-
 uilis institutio, uelut flos omnium deinceps pro-
 uentuum, quos redditura sunt ingenia. Ouidius

Si bene floruerint segetes, erit area diues.

Si bene floruerit uinea, Bacchus erit.

Si bene floruerint oleae, nitidissimus annus,

Poma quoq; euentū tēporis huius habent.

Dixi.

SERMO HABITVS APVD IV-
 uentutem Academiae Vuittenbergensis, de
 corrigendis Adolescentiae studijs, Au-
 thore Phil. Melanth. Anno

M. D. XVIII.

EXIMIA